11/17-002

Styria, Gratz 6 Oktobr 1846.

Celeberrime atque doctissime Domine!

Magna tua de re herbaria merita mihi valde bene nota. Jam dudum in votis erat, Tecum, quod scientiam nostram amabilem attinet, communicandi. Ast prius non erat, cur Te litteris meis turbassem. – Jam per plus quam 30 annos Botanicae addictus, otium atque vagitiones meas botanicas eo impendere conatus sum, ut Enumerationem plant. phan. Universi Imperii Austriaci conscriberem. Opus nunc finitum ita accomodatum est: Plantae secundum Ordines systematis Endlicheri enumerantur. Cuilibet speciei praeter synonyma maxime necessaria, Durationem, et locum natalem universalem e. g. in pratis etc. omnes provinciae ordine alphabetico adnexae sunt, in quibus mihi crescere innotuerit.

Ad opus conficiendum omnibus libris de flora Austriaca specialiter vel universaliter agentibus usus sum, nec non a permultis Botanices cultoribus omnium provinciarum scripsis et plantis sicca,tis benevole atque humanissime adjutus fueram. – Etiam praeclaro Tuo opere de Flora Dalmatica sedulo usus sum, sed valde dolebam, tomum II adhucdum non ad manum fuisse, eo magis, cum mihi multæ plantæ e Dalmatia missæ fuerint, quæ a Te denominatæ indicantur, attamen nuspiam nusquam descriptæ inveniuntur, et quod speramus in secundo volumine Floræ tuæ Dalmaticæ descriptæ reperientur. Huc pertinent: Centaurea crithmifolia A. C. Friderici; Galium aureum, Satureja subspicata, Lycopsis Portenschlagii, Satureja subspicata et multæ aliæ.

Bolleri Dipsacum misit „foliis lineari-
subulatis, dorso aculeatis" qui novam
speciem sistere videtur. —
Cum de hisce plantis dubius haeream,
ad Te Clarissime Domine mihi refugi-
endum mihi censeo, quaerens, an tomus
II operis Tui modo in lucem prodi-
turus sit? Si non, humillime Te rogo,
ut mihi benevole consilium dares,
quomodo species hae Tuae in opere
meo adferendae sint. —
Herbarium etiam operi respondens
construxi. Ultimas notiones et
additamenta a nonnullis Botanicis
expecto, et post 4-5 menses opus
imprimendum curabo.
Pro omni consilio et auxilio quod
benignissime largiri dignaris, gratissi-
mum semper invenies

Tuum

devotissimum servum

Dr Josephum Maly

Exemplar operis chartae scriptoriae impressum gratissimus mittam!